

ditum totus in Scriptura yolvenda & commendanda
occupatus, dignus tandem ab ordine suo ac superioribus
habitus est, cui gradus DOCTORIS conferretur.
Refugit illum primum LVTHERVS, verecundia qua-
dam, & indignitatis suae obtenu, non ficto, sed serio, ut
opus esset ad eum sperandum non unius viri adhorta-
tione: Ita enim STAVPIZIVS, cuius nomen multas ob-
causas debet esse posteritati gratum, & cum honore
commemorandum, varias rationes admovit ad eum
impellendum, & cum suasiones non viderentur rem
conficere, mandatum, cui refragari non posset per con-
scientiae ac voti legem, tandem interposuit. Inter alia
necessitates Ecclesiae ante oculos stitit, & praetexenti ju-
ventutem, dixit, *Deum opus habere Doctoribus juvenibus*
in praesenti Ecclesiae statu, qui strenue in ejus messe la-
borarent, & res satis collapsas restituerent. Excipienti
suam corporis imbecillitatem atque imparitatem ad labo-
res tot ferendos, quos honor ille secum ferat, metum-
que, ne forte ante tempus vitam spiritumque mittat:
Etiam Deum in coelis Doctoribus opus habere, argute re-
spondit. Tandem ubi de sumptuum inopia conquestus est,
hunc etiam scrupulum ipsi exemit, & ex Electoris Divi
FRIDERICI, Academiae Sapientissimi Conditoris ac
Nutritoris redditibus omnem pecuniae summam esse nu-
merandam, promisit. His arietibus tandem expulsus
LVTHERVS resistere non potuit, sed obsequii, quod
Deo, Principi & Superioribus debebat, probe memor,
ad tantam rem se accinxit, pecuniamque Electoris cle-
mentissimo auspicio destinatam, Lipsiae, quorsum ea
de causa profici sci jussus est, numeratam accepit. Ita
honorem illum magis sibi imponi passus est, quam ut
eum anxie ac laboriose ambiret, ipsoque die, qui Aca-